AUGUSTINUS. ISIDORUS HISPALENSIS

Göttweig (?), 12. Jh. Seite 134v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

reliquias omnino detraherem, si vellem prorsus infor-
me cogitare, et non poteram. citius enim non esse censebam
quod omni forma privaretur, quam cogitabam quiddam
I: inter formam et nihil, nec formatum nec nihil, in-
forme prope nihil. Et cessavit mens mea interrogare
hinc spiritum meum plenum imaginibus formatorum corporum
et eas pro arbitrio mutantem atque variantem. Et intendi
in ipsa corpora eorumque mutabilitatem altius inspexi,
qua desinunt esse quod fuerant et incipiunt esse quod non
fuerant. Eundemque transitum de forma in formam per in-
forme quiddam fieri suspicatus sum, non per omnino nichil.
Sed nosse cupiebam, non suspicari. Et si totum tibi confiteatur
vox et stilus meus, quicquid de ista questione enodas-
ti michi, quis legentium capere durabit? Nec ideo tamen
cessabit cor meum tibi dare honorem et canticum laudis
de his que dictare non sufficit. Mutabilitas enim rerum
mutabilium ipsa capax est formarum omnium in quas
mutantur res mutabiles. Et hec quid est? numquid animus?
numquid corpus? numquid species animi vel corporis? Si di-
ci potuisset nihil aliquid et est non est, hoc eam dicerem; et tamen
iam utcumque erat ut species caperet istas visibiles et
compositas. Et unde utcumque erat, nisi esset abs te, a quo sunt omnia
in quantumcumque sunt? Sed tanto longius a te, quanto dissimilius.
Neque enim locis. Itaque tu domine, qui non es alias aliud et
alias aliter, sed id ipsum et id ipsum et id ipsum, sanctus, sanctus, sanctus, dominus deus omnipotens,
in principio, quod est de te, in sapientia tua, que nata est
de substantia tua, fecisti aliquid et de nichilo. Fecis-
ti enim celum et terram non de te. Nam esset equalem
unigenito tuo, ac per hoc et tibi, et nullo modo iustum